

Bibliothèque numérique

medic@

**Desmarescaux,
Antoine-François-Placide-Joseph -
candidat / Mallet, Noël-Nicolas -
président / Ant. Casamajor
Jacques, Gabriel-Antoine
- auteur. - An ex negato Veneris usu
morbi ?**

1784.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°102***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0102](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0102)

50

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA*

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-quartâ
mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXIV.


M. NATALI-NICOLAO MALLET, Doctore Medico, Præside.

An ex negato Veneris usu morbi ?

I.

CRESCITE & multiplicamini, non facta, sed nata lex: jugum suave non violentum: obedientia pro dulcedinis ratione. Ideò & Sexuum diversitas, & ad usus genitabiles organa congrua, & maris feminaeque in quovis animantium genere ad invicem comparatio, & in invicem fruendos propensio. Blandum Societatis vinculum. Ex usu, voluptas ne fastidium avocaret, foecunditas ne inani delectamento inhiaremus, generis propagatio ut in genito genitores reviviscerent quamdamque perpetuitatem adipiscerentur; usum Natura instituit, ratio moderatur, Religio consecrat, vitiat libido; ex moderato sanitas, ex honesto decus, ex nimio debilitas, ex vetito infamia. *Concubitus neque nimis concupiscendus, neque nimis pertimescendus.* Rarò pauci, multi crebro peccant. Si libidine victus, dominante cupidine servus in Venerem insanis, quantas in corpore procellas excitas? quàm turpes, quàm perniciosas, quàm & corpori paulatim exhauriendo inimicas, & animo adversus veritatemque sensim caligaturo funestas? Dulce malum, sensu delectabile, irrepit blandè, *in novissimis mordebit ut coluber, & quasi regulus venena diffundet.* Testiculi, vesiculæque feminales suo liquore si turgeant, excusso pudore pruriunt organa; nervi sollicitati blando motu, fibræ vellicatæ toto passim corpore communicant impressionem; mens intenditur, excutitur è tranquillitate imaginatio; commotâ animi contentione, oscillatio vehementior, commotio diuturnior. A cerebro ad organa genitalia, ab his ad illud, mutuâ & communicatione & percussione, mens & corpus afficiuntur. Fibris eâ perturbatione jactatis, an liquores aut torpere, aut naturali sanâque fluctuatione stagnare intrâ receptacula vel intrâ alveos manare possunt? proruit violento impetu sanguis, profilit lympa, semen in conceptaculis suis fit concitatus atque tumultuosus. *Æstquare corpus, vulnus ali venis, cæco igne carpi homo incipit, dum est mollis flamma medullas.* Amorem nutrit & accendit ætatis breve ver: nulla tamen aut naturæ pravæ debetur, aut juventuti lascivienti indulgentia: sapiens ad conjugale littus appellet; si quem depuduit, infami Venere volutabitur

* Propugnata, 1722, ab Ant. CASAMAJOR; M. Gabriel-Antonio JACQUES, Præside.



2

ut amica luto fus; si lex, si vitæ conditio vetabit, quominus licitâ venere utaris, malum durum, sed levius sit patientiâ, quidquid corrigere est nefas.

I I.

QUANTOS inquieto corpus æstro tumens allidit animo fluctus? Hinc vel stupet in unam defixa rem anxia; vel in lætas errabunda cogitationes, impotens sui mens evagatur; hinc morositas vel hilaritas intempestiva. Putas tot inter jactationes integram posse consistere sanitatem, cum vicissim & organa genitabilia mentem, & percussa mens sollicitabit organa. Nimirum intumescunt, undè nervi distenti plus æquo, membranæ nimiooperè tractæ, partes à naturali statu degeneres, morbo creando opportuna rudimenta: rursus semen ipsum, fluere identidem natum, suapte sponte stagnare ineptum, evaporescentibus partibus tenuioribus morâ crassescit, subolidum evadit, nec generationi benè idoneum, nec sterilitati prorsus addictum, sed & subsidet cum inquieto pruritu. Corruptio optimi pessima. At enim tantula perfectissimi liquoris copia, vesiculis clausa suis depravari non potest. Cernis quotidie ut capiant vitium, ni moveantur, aquæ; ut ova suo cortice inclusa, longo post exclusionem tempore fiant & ad generationem inepta, & ad cibos insuavia, & ad valetudinem incommoda. Feles femina, nisi statò tempore marem admiserint, quanto furore, quantâ vesaniâ desipiunt? Passeres, libidinosa animalcula, negato Veneris usu, quantum insaniunt, ut vel Venus vel mors insaniam compescat? Nonne observatum, columbas omnes, quæ conjuge carerent, interire? Nonne varia alia animantia, Psittacos, Cassoware, major omni exceptione narrat, testis oculatus, Harvey.

I I I.

NEC adversatur experientia rationi; quin alteram altera funditus stabilit. *Venus in juvenibus animalem, vitalem, & naturalem facultatem roborat: animalem per motum expurgat, & sopitam excitat; naturalem per evacuationem superfluit; & vitalem per latitiam.* Id quidem pronunciatum velut ex tripode: nam nisi suo motu singulæ partes exerceantur, eæ languent, & contracto situ, inducuntque malâ labe ob inertiam, hebescent, non modò vitium ipsæ inducunt, sed & in vicinas venenum imbibitum paulatim derivant; utilis quoque est homini lætitia; ea verò quæ ex legitimâ Venere percipitur suavitas, magnam habet in nostrâ lætitiâ partem. Dùm, non libidinosa cogitatio, nos excitat, sed ipsa natura, consequens videtur ut ipsa velit se humore superfluo, & si resistit, noxio, exonerare: non ità si mens sollicitet venerem; namque erit forsitan istud non naturæ officium, sed mentis vitium. Sed quid dicemus? si in meditationibus veneris (quæ nunquam possunt abesse, ubi adest nimium in corpore semen) cum massiciâ (quæ pariter semper adest, ubi deest Venus necessaria) excrementorum perspurabiliū portio crassa retinetur, (magnum jam morborum irritamentum); quæ evolante tenuiore, adhuc crassior & frigidior fit, (undè obstructions, lentores, malaque fere innumera); hæc (materies frigidior & crassior) si colligatur, ferè invincibilem inducit frigiditatem in capite, (hinc melancholia, stupor, hebetudo), præterea palpitationem curatu difficilem in corde vel aliis membris (ob varias ab æstro venereo convulsiones). Si verò attendamus ingenia eorum, qui Venere vel iustâ nunquam uti sunt, facile intelligemus quid possit & moderata Venus ad leniendam indolem, & neglecta prorsus ad efferendam exacerbendamque mentem: quicumque enim, absit ut dicam, effusæ veneri indulserunt, sed honestæ & castæ litaverunt, ii solent esse naturâ & ad misericordiam procliviori, & ad comitatem urbaniori, & ad modestiam compositiori, dùm verò quidam licitas voluptates quasi sceleratas aut refugere aut refugisse volunt videri; ii sectantur asperitatem gravem & inconcinnam, quæ se commendat rugosâ fronte, mente impla-

Exercit. 5. de
gen. anim.

Sanct. stat. 6.
aph. 31.

Idem sect. 7.
aphor. 16.

3

cabili, sermone horrido, gestuque toto effero. Adeò valet casta Venus ad vitia vitanda, ad virtutes ipsas colendas! Ipsa enim virtus blando non aspero, leni non tristi, modesto non superbo, dulci non amaro nos jugo addicere amat.

I V.

VIRTUS est medium vitiorum, utrimque reductum. Atqui Venus nimia corpus exhaurit, mentem hebetat, pigritiam, languorem, inappetentiam inducit, affigit humo divinæ particulam auræ; inde *μαρasmus, φθίσις, ἀνρεφία*, macies, laxitas fibrarum, crassities humorum: ergò si multà quis Venere utatur, evitatà Charybdi incidet in Scyllam, contrariorum enim contraria, affectio, effecta; quandoque in Cœlibe corpore, robur nimium & noxium, mens imperitè & stolidè ferociens, hilaritas importuna, vigor indocilis, habitus rigidior, fibrarum tensio incommoda, humorum denique volatilior indoles: proinde stat in moderatà Venere aurea mediocritas: quin-etiam si tali modo usurpetur, animus evadit sanior, hilarior, concinnior, ad jocos, ad seria aptior; virtuti ipsi habitior; si licita nullatenus ineatur, aut in vero investigando, in recto sequendo mens inquietà sollicitatur titillatione, aut, si non adest, jam vel semivir quis, vel foemina sterilis, & ideò uterque cœlibatui idoneus, quia uterque conjugio ineptus: *pauci quos æquus amavit Jupiter, aut ardens evexit ad athera virtus*; ebullientem cupidinis æstum lenire & sopire, nulli extinguere ac delere prorsus potuerunt. Res incognitas ex perspectis æstima. Ad generationem tenrandam non solà liberorum tollendorum dulcedine, non solà rei voluptate, excitat natura, sed & rei ipsius ad sanitatem tuendam utilitate, ad morbos præcavendos opportunitate, ad morbos quandoque sanandos necessitudine dulcedinem armavit. Voluptas ita corporibus inest nostris, cum in optimà sunt conditione, ut malam dolor languorve comitatur; illà; quæ corpori sunt accomodata sano percipimus; illo, quæ noxia judicamus; nec ullo alio judicii argumento altera ab alteris secernimus: ergò voluptas in Venere significat rem sanitati conservandæ accommodatam; & si languor aliquis subsequi solet, is non tam ab usu, quàm ab abusu proficiscitur: si quis enim moderatè & leniter utatur, non dolor sed voluptas, non languor sed hilaritas, non gravitas sed levitas quædam corporis nascitur; ut rectè monent Medici, & experiuntur conjugati.

V.

QUID prætereà? Puella jam conjugii potens, quos toto corpore æstus experitur? Ubi natura finem destinatum obtinuit, quiescere amat; eniti donec obtineat: at puella calere, frigere, languere, invalescere, prout veneris liquor varios intus stimulos aut admovet aut compescit: eo nervos ad partes generationis protensos irritante, toto corpore tumultus vigent turbulenti, *παθος υπερικόν*: eo trans membranas in vasa, in liquores alios regurgitante, & sanguis non integer, & lympa depravata: hinc moeror, *λειποθυμία; ἀνερξία*, febri-cula à stimulo cupidineo amatoria dicta; hinc *χλωρσις* virginea, dum infecti humores per cutem fusi, colorem pravum, album, flavum, pallidum, fuscum, conciliant: quæ mala concubitu sanabilia. Si illos retentum semen effectus prodit in extimà corporis cute, quid intra viscera efficiet, ubi & communicatio vicinior, & actio potentior, & partium structura mollior. Virgines plerumque hystericæ, morosæ, morbosæ, ab obstinatà virginei decoris custodiâ. Quid? puer, cum vestit tenui lanugine malas, ut fervet! Quàm huic crebra, sæpè involontaria tentigo: adde quod mares foeminasque sine discrimine invadant iidem morbi, febris mulierosa, pravus color, tristitia, inappetentia, syncope, marasmus; femineo consortio mala egregiè curabilia. Morbusne aut nullus ubi tot mala, aut non imminet terribilis. Gliscens intus furor multò acrius exar-

descit, si pulchri vultus conspectu, si comitatis blandâ urbanitate, si lentâ otii tranquillitate, si potius generosi ac copiosi suavitate, si cibi optimi & gratè sapidi saturitate, si longo quietoque somni torpore fovebitur, educabitur, corroborabitur: quid? quod sunt ingenia ita comparata sive per nativam conformationem, sive per hæreditariam lasciviam, sive regionis, institutionis, diætæ, inertiae vitio, ut in Venerem prorsus perfurant: ii sanè cupidinis armis vinci dociles, qui regione calidâ nati atque educati, qui aëra herbarum aromaticarum odoribus suffutum ducere soliti, qui genio, otio, inertiae, garrulitati, quidlibet videndi, audiendi, dicendique prurigini indulgere sueti, qui seria spernere, jocos nugasque sectari prompti, qui de se magna sentire, alios aspernari proclives. Imò verò ea est seminis intra vasa coërciti nonnunquam tumultuatio, ut sui impetus signa indubia toto corpore prodant: aliquando oculi incerto obtutu vagi, genæ rubro-pallidæ, vox ipsa balba, respiratio nonnihil suspiriosa, gestus, incessusque, & corporis habitus vel trepidatione vel languore Venerem denuncians; eaque omnia per nervos organorum genitalium, qui cum ramis nervosis ad universas ferè corporis partes divaricatis sociantur. Ne dubitemus adhuc à negato Veneris usu varios oriri posse morbos, cum exindè tanti in machinâ corporeâ motus cieantur, tantæ excitentur procellæ, eversoque officiorum ordine, diruta partium sanà & naturali conspiratione, summa imis immurentur. Hinc non Apollinis magis verum atque hoc responsum;

Ergò ex Veneris negato usu morbi.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptista-Josephus THÉRY.	M. Joannes-Jacobus LE ROUX DES TILLETs, Chirurgiæ, Gallico idiomate Professor.	M. Ludovicus-Alexander GER- VAISE.
M. Joannes-Franciscus MARI- NIER.	M. Augustinus ROUSSEL DE FAUZESME, Nosodochii Stampensis, & in urbe locif- que vicinis epidemiarum Me- dicus.	M. Joannes MAC-MAHON, anticuus Exercituum Regis & Nosocomiorum Militarium Medicus, Fegiae Scholæ Mi- litaris Medicus ordinarius.
M. Ludovicus-Carolus HALLOT, rei Herbariæ Professor.	M. Joannes-Baptista-Claudius JEANNET DES LONGROIS, Chirurgiæ gallico idiomate Professor pro anno 1784-85 designatus.	M. Franoiscus THIERY, Eques, Regis è salubri Consilio, Regii Medicorum Collegii Nanciei Socius honorarius, Regiaeque ejusdem civitatis Scientiarum & humaniorum Litterarum Academiæ, necnon Biterren- sis, ac Matriensis.

Proponebat Parisiis ANTONIUS - FRANCISCUS - PLACIDUS - JOSEPHUS
DESMARESCAUX, Tornacensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ
Parisiensis Baccalaureus.

A. R. S. H. 1784.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAV, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1784.